

John of Ślupca*¹

Manuscript: **BJ Acc. 67/54, f. 148r-151r**

De translacione sancti Stanislai sermo

[Thema] *Translatus est Israel de Egypto. Ex. XII [51].*²

[H]odie Sancta Mater Ecclesia letatur de translacione sancti Stanislai, qui presertim ab incolis huius regni digne est glorificandus, pro quibus indubie est in conspectu Dei intercessor assiduus. Quis enim cogitare potest, quanto studio ad placandum altissimum intercedit pro populo, dum existens in terra pro salute subditorum non pensavit vitam propriam.

Ideo namque translatus est de terris ad celos pontifex sanctus *ex hominibus assumptus, ut pro hominibus constituatur ad offerendum dona affectionum et sacrificia oracionum, pro peccatis populorum* [cf. Heb 5,1].

Hortatur nos Ecclesia Polonos omnes:

*Celebret Polonia/ festiva solemnia/
veneretur inclita/ passionis merita/
sancti Stanislai/
Quem occidit impia/ Dei pro iusticia/
manus Boleslai.*³

In cuius translacione **tria** notantur.

<1> **Primo**, quod sanctus Stanislaus translatus est a temporalitate ad eternitatem.

<2> **Secundo** ab umbra ad claritatem.

<3> **Tercio** a labore ad quietem.

<1> **Primum** notatur in hac dictione *translatus est*, preterit namque temporalitas, et successit eternitas, transiit navigatio, venit portus. Quamdiu fuit in mundo quasi navigans, potuit dicere: *Transeunt omnia velut umbra, tamquam nuncius percurrens, et tanquam navis pertransit fluctuantem aquam, cuius cum preterierit, non est vestigium invenire*, Sap V [, 9-10]. Nunc autem in portu eterne felicitatis manens, potest dicere cum Propheta: *Hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam* [Ps 131, 14]. Pro hac laboravi, sanguinem fudi, corpus discerpi dedi, animam emisi. Olim cum erat in mundo, dicebat *Quomodo cantabo canticum Domini in terra aliena?* [Ps 136, 4], ubi non restat, nisi sedendo super flumina Babilonis flere, recordando Syon,⁴ montem sanctum regni celorum. Iam autem ait [Ps 83, 5]: *Beati, qui habitant in domo [148v] tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te*. Super quo dicit Augustinus: *Beati, quorum est hic negocium laudare Deum in secula seculorum. Non arant, non seminant, non molunt, non coquunt: hec enim sunt opera necessitatis, ibi necessitas non est. Non furantur, non [de]predantur, non adulterantur: hec enim sunt opera iniquitatis, ibi iniquitas non est. Non frangunt panem esurienti, non vestiunt*

¹ Sermon no. LXVIII in Kuzmová, *Preaching Saint Stanislaus*.

² Vulgata Clementina (VC): Ex 12,51 *et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Egypti per turmas suas*.

³ Hortatur ... Boleslai] *in margine*. These lines are from the rhymed breviary office, *Dies adest celebris* composed by Vincent of Kielcza, Matins, First Responsory and First Verse.

⁴ Cf. Ps 136, 1: *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion*.

*nudum, non suscipiunt peregrinum, non visitant egrotum, non concordant litigiosum, non sepeliunt mortuum: opera enim ista sunt misericordie; ibi nulla est miseria, in qua fiat misericordia.*⁵

O, quot centenis annorum anima sancti Stanislai translata in celum manet in gloria, numquam aliquid indigencie sensit, numquam dolore vel merore tacta, vel aliqua displicencia commota. Habent enim sancti omne bonum, quia habent Deum, qui est *omnia in omnibus*, I Cor XV [, 28]. Nihil igitur eum potest turbare, cum habent summum bonum in eternum, ad quod translatus est de temporalitate. **Et hoc quantum ad primum.**

<2> **Dixi secundo**, quod beatus Stanislaus **translatus est ab umbra ad claritatem**, quod notatur in hoc, quod dicitur *Israel*, quod interpretatur videns Deum, non in umbra, sed in claritate, non in spe, sed in re, non per fidem, sed per essenciam, non in enigmate, sed in splendore, non per speculum, sed per apertam cognitionem.

Videt clare et aperte divinam essenciam trium personarum, Patris et Filii et Spiritus Sancti, uno simplici intuitu, uno visionis actu. Nos autem, ut ait Apostolus I Cor XVIII [cf. 1 Cor 13, 12]: *Videmus nunc per speculum et in enigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem, nunc cognoscimus ex parte, tunc autem cognoscemus sicut et cogniti sumus.* [149r] O quando erit istud, tunc cum auferretur saccus mortalitatis, quando nudabitur anima velamine carnis, quando hiems abibit, et veniet delectacio vernalis. Nunc enim sumus similes hiemalibus, pulchritudo nostra non apparet, sumus velut aridi, nihil delectabilis habentes. Urgemur tribulacionibus, frigoribus, ardoribus, miseriis; patimur ventos tentacionum, nives asperitatum, sumus filii Dei, sed per fidem, sumus in spe, sed nondum in re. Levamus oculos in celum, ubi est gloria eterna, magna distancia celi a terra; quomodo possumus videre sedentem ad dexteram patris. Cum autem ver veniret, et dies resoluciois illuxerit, tunc nostra viriditas, et nostrum gaudium apparebit. Est sententia beati Augustini super Psalmus LXXXIII: *Nondum, inquit, videmus patrem nostrum? quia nondum apparuit, quod erimus. Iam sumus, sed in spe, nam quid erimus nondum apparuit. Scimus autem, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.*⁶

Sanctus vero Stanislaus nunc clare videt eum in terra vivencium, in monte altissimo regni celorum, ubi requiescens in gaudio nos omnes adhortatur, ut ad eius societatem conveniamur ascendere, **triplici hortamento**:

<2.1> **fide firma et clara**, <2.2> **spe recta et certa**, et <2.3> **caritate fervida**. **In qua enim fide, spe et caritate** ipse salvatus est, et nos salvi fieri speramus.

Ecclesia canit:

*Sparsos artus, iubar celi, prodit celui fideli,
nec perit articulus.*

*Sacrum corpus integratur, dum pars parti federatur,
videns stupet populus.*⁷

*Veri solis radius, medicus celestis,
meritorum martyris, auctor est et testis,*

⁵ Beati ... misericordia.] Augustinus Hipponensis, "In Psalmum 148 Enarratio: Sermo ad plebem," cap. 8, v. 6, in *Enarrationes in Psalmos*, PL 37, col. 1941.

⁶ Augustinus Hipponensis, "In Psalmum 84 Enarratio: Sermo ad plebem," cap. 9, v. 8, in *Enarrationes in Psalmos*, PL 37, col. 1074. Cf. 1 Io 3,2.

⁷ Ecclesia... populus.] *in margine*. Sequence *Iesu Christe rex superne*, 7a-b, in *Cantica*, ed. Kowalewicz, no. 5, 17.

*in splendore corporis, caritatem signans,
quod integrum reddidit, amorem designans.*⁸

<2.1> Vis scire, quam **firmam fidem** habuit sanctus Stanislaus? Vide, quod post minutam sectionem corporis eius, partes segregate redierunt ad integritatem, quasi non fuissent partite. Per hoc designabatur quantum fidei catholice dilexerit unitatem et integritatem [149v] pater noster et patronus. Erubescant filii regni huius in fide debiles. Timeant seniores huius regni, qui multos contra fidem insolentes possent cohibere nec cohibent. Quanta nobis confusio, si fidem, quam sanctus Stanislaus tenuit, levipendemus. Dicit Augustinus in sermone de pluribus martyribus: *Decet ista solemnia martyrium celebrare, ut vestigia martyrum deberent imitari.*⁹ Quid est quod in eius canonisatione visum est vexillum rubeum, habens nomen et imaginem sancti Stanislai impressam, nisi ut sicut in bello respicitur vexillum, ita omnes habeamus respectum ad fidem huius sancti, si volumus vincere. Luxerunt etiam in eius canonisatione lumina in media testudine.

<2.2> Vis scire, quam **rectam spem** habuit sanctus Stanislaus? Vide, quod principe seivente, persecucione fervente, tyrannide tumultuante, ipse a sacrificio non cessavit, imo ad disseccionem sacrificavit in altari.

*Ad altare vir celestis
cadiť cesus a scelestis
mille lacer frustulis.*¹⁰

<2.3> Hec spes non confundit, **caritatem** autem ostendit, quia animam suam ut bonus pastor posuit pro ovibus suis. Et *‘translatus est Israhel’* quantum ad secundum.

<3> **Dixi tercio**, quod sanctus Stanislaus **translatus est a labore ad quietem**, laboravit hic, iam ibi requiescit. Hic flebat, iam ibi ridet, hic tristabatur, iam ibi letatur. Querit Propheta [Ps 33, 13]: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Potest ei congrue responderi: “beatus Stanislaus”. Voluit vitam, et invenit eam, et haurit salutem a Domino. Dilexit dies videre bonos, et invenit, non in terra, sed in celo. Dicit Augustinus super Psalmum XXIII, scilicet “Benedicam”: *Semper dies mali sunt in seculo, sed semper dies boni sunt in Deo.* Subdit ipse [150r]: *Dominus non habuit dies bonos in hoc seculo, contumelias, iniurias, crucem et tanta mala paciebatur. Non ergo Christianus murmuret. Videat cuius vestigia sequitur.*¹¹ Hec ille. Dicunt homines: *Quamdiu paciemur mala, quotidie peiora, apud parentes nostros fuerunt dies meliores.* O, si interrogares tuos parentes, similiter tibi de suis diebus murmurarent. Et post pauca subdit: *Non hic querat dies bonos, omnes hic laboraverunt. Legite Scripturas: ideo voluit Dominus, ut scriberentur, ut nos consolarentur. Temporibus Helie fuit fames; passi sunt eam patres nostri. Capita iumentorum mortuorum auro vendebantur, occidebant filios suos et comederunt eos: et due mulieres statuerunt inter se ut occiderent filios suos et manducarent; occidit una filium suum, et manducaverunt eum ambe.* Hec ille. Scivit hec sanctus Stanislaus, ideo dilexit videre dies bonos, quos ut obtineret, translatus est de terra ad celum, non propter se tantum, sed propter nos, ut in conspectu Altissimi pro nobis intercederet.

Ecclesia canit:

De concive celum gaude,

⁸ Veri... designans.] *in margine.* From the breviary historia rhytmica, *Dies adest celebris*, lauds antiphon no. 5; Dziwisz, *Kult liturgiczny*, 87-8; Schenk, *Kult*, 98.

⁹ Cf. Augustinus Hipponensis, “Sermo 285: In Die natali martyrum Casti et Aemilii”: ita solemnia martyrum celebrare, ut vestigia martyrum sequendo delectet imitari.

¹⁰ Ad altare... frustulis.] *in margine.* Sequence *Jesu Christe rex superne*, stanza 6a, Kowalewicz, *Cantica*, no. 5, 17.

¹¹ Semper... ambe.] Augustinus Hipponensis, “In Psalmum 33 Enarratio: Sermo 2,” v. 13 and v. 14, in *Enarrationes in Psalmos*, PL 36, col. 317, 318.

*de patrono terra plaude,
Stanislaus dignus laude,
cum sanctis letatur, angelis equatur.*¹²

Unde potest ad nos dicere, quod dixerat Ioseph ad fratres suos: *Premisit me Deus, ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere possitis, non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*, Gen XLV [, 7. 8].

Tot enim peccata precesserunt, et iugiter emergunt in Polonia, quot nisi beatus Stanislaus intercederet, terra peccatores non sustineret.

Quantum autem valeat intercessio sanctorum, audiamus, quid dicit Ps. [105, 23]: *Dixit scilicet Deus, ut disperderet eos, si non Moises, electus eius, stetisset in confraccione in conspectu eius*. Ubi dicit Augustinus: *In confraccione, idest in plaga, qua [150v] erant ibi feriendi, si non stetisset, id est, si non obiecisset seipsum pro eis, dicens: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si nos facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.*¹³ *Ubi demonstratum est, quantum intercessio sanctorum pro aliis valeat apud Deum. Securus enim Moises de iusticia Dei, qua eum delere non posset, impetravit misericordiam, ne nos, quos iuste possedit, deleret.*¹⁴ Hec ille.

Quod fecit Moises Iudeis, hoc facit sanctus Stanislaus Polonis. Unde hodie Dominus omnibus Polonis dicit: *Ite ad servum meum Stanislaum, et offerte holocaustum pro vobis, faciem eius suscipiam, ut non imputetur vobis stulticia*, Iob ultimo [Job 42, 8]. Sed revera timeo, ne iste sanctus videns nostram ingratitude, et sui levipensionem, ab intercessione desistat. Aut si non desistat, formidandum est ne peccatis invalescentibus, et usque ad celum clamantibus, vox peccatorum prevaleat intercessioni.

Legitur namque, quod dum Saraceni Siciliam invaderent,¹⁵ insulam ubi corpus beati Bartholomei fuerat sepultum vastaverunt, et eius ossa disperserunt. Illis recedentibus, apparuit apostolus cuidam monacho, dicens ei: ‘Surge, collige ossa mea, que dispersa sunt.’ Cui ille: ‘Qua ratione debeo ossa tua colligere, vel eis honorem impendere, cum nos deleri permiseris nec auxilium impenderis?’ Cui ille: ‘Per multum temporis meis meritis Dominus huic populo pepercit, sed eorum peccatis nimis invalescentibus, et usque ad celum clamantibus, iam eis non potui veniam obtinere.’

Quia igitur peccata iugiter crescunt, et reverencia huius sancti in cordibus hominum decrescit, pavendum ne peccata nostra ita provocent indignacionem [151r] Dei, quod nec intercessio locum habeat, delebitque nos de superficie terre, et faciet nos in opprobrium *et fabulam cunctis populis*. *Omnis qui transierit stupebit, et sibilabit, et dicet: Quare sic fecit Dominus huic terre? Respondebuntque: quia dereliquerunt Dominum Deum suum*, III Reg IX [, 7.8.9].

Quia ergo translatus est sanctus Stanislaus in celum, restat ut eius patrocinio gaudentes, vitam nostram reformemus in melius, ad obtinendum gratiam in presenti, et tandem gloriam in regno celorum. Ad quam nos, etc.

*Iesu Criste rex superne, Deo patre coeterne,
tibi laus et gloria.
Cuius ope martyr clemens Stanislaus hostem premens
triumphat victoria.*

¹² Ecclesia equatur.] *in margine*. Breviary office, *Dies adest celebris*, Lauds Antiphon 2. Variant: stanislaus pari laude/ sanctorum letatur/ meritis equatur.

¹³ Cf. Ex 32,31-32.

¹⁴ Dixit... deleret] Cf. Augustinus Hipponensis, “In Psalmum 105 Enarratio,” cap. 21, v. 23, in *Enarrationes in Psalmos*, PL 37, col. 1412.

¹⁵ Legitur... obtinere] Cf. Iacopo da Varazze, “De sancto Bartholomeo” in *Legenda aurea*, ed. G. Maggioni, vol.2, 835.

Et infra:

*Poli civis fit Polonus, presul pius et patronus,
imo pater patrie.*

*Quem precemur corde mundo, donec sumus in hoc mundo,
ne mergamur in profundo, pro delicti macula.*

*Sed occultis emundati prima stola trabeati
cum beatis iam beati vivamus per secula. Amen.*¹⁶

¹⁶ Iesu.. Amen.] *In margine. Jesu Christe rex superne*, Kowalewicz, *Cantica*, no. 5, 17 – stanza 1a-b; 9b, 10a, 10b.